



# The Holy See

---

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA

***HOSANNENSIS\****

IN AETHIOPIA NOVUS CONDITUR

VICARIATUS APOSTOLICUS HOSANNENSIS.

Cum esset petitum ut in Aethiopia Vicariatus Apostolicus Soddensis Hosannensis ita divideretur ut, territorio Hosannensi a memorato Vicariatu Apostolico seiuncto, ex eo novus Vicariatus Apostolicus constitueretur Hosannensis nomine, Congregatio pro Gentium Evangelizatione, putans huiusmodi divisionem in animarum bonum esse cessuram, re mature perpensa auditisque pariter eorum quorum interest votis, enixa postulationi censuit esse annuendum. Nos igitur, Successor beati Petri et universalis Pater, talem sententiam ratam habentes, summa Nostra potestate sequentia decernimus. A Vicariatu Apostolico Soddensi-Hosannensi separamus territorium Hosannense et erigimus in novum Vicariatum Apostolicum Hosannensem. Quem vero iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus cuiusque episcopalem sedem in civitate « Hosanna » ponimus dum templum Sancti Ioseph, ibidem extans, ad ecclesiae Cathedralis dignitatem evehimus. Haec omnia perficienda committimus Venerabili Fratri Georgio Panikulam, Archiepiscopo titulo Caudino atque in Aethiopia Apostolico Nuntio, qui re acta curabit sueta documenta exaranda sincerisque exemplis Congregationi pro Gentium Evangelizationemittenda. Hanc denique Constitutionem Nostram nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

*Datum Romae, apud S. Petrum, die vicesimo mensis Ianuarii, anno Domini bis millesimo decimo,  
Pontificatus Nostri quinto.*

THARCISIUS card. BERTONE  
*Secretarius Status*

IVAN card. DIAS  
*Congr. pro Gentium Evang. Praef.*

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Leonardus Erriquens, *Protonot.*

---

*Apost.*

\*A.A.S., vol. CII (2010), n. 3, pp. 137-138 © Copyright 2010 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana